



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

eligat, vel sequatur, vel agat occasionem salutis, hoc est, inspiratione Dei. Vt autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse liberè confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est, ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, diuini est muneris. Vt non labamur in dempto salutis munere sollicitudinis nostræ est, & cœlestis pariter adiutorij. Vt labamur, potestatis nostræ est, & ignauia.

Quod omnes homines, in præuaricatione Adæ naturalem possibilitatem perdidissent. Cap. XI.

IN præuaricatione Adæ, omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruine per liberum arbitrium posse confurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit, pronunciant beata memoria Papa Innocentio, atque dicente in epistola sua ad Carthaginense concilium. Liberum enim arbitrium ille perpeffus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus est, & nihil quemadmodum exinde surgere posset inuenit, suaque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ latuisset oppressus, nisi eum post Christi, per sua gratia, releuasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificatione, omne præteriti vitium, sui baptismatis lauacro purgauit.

De eadem re. Caput XII.

Quod nemo, nisi per Christum, libero bene vtitur arbitrio idem magister in epistola ad Mileuitanum concilium data, prædicat, dicens. Aduerte tandem o prauissimarum mentium peruersa doctrina, quod primùm hominè ita libertas ipsa decepit, ut dū indulgētius frenis eius vtitur, in præuaricatione præsumptionis cōcideret, nec ex hac potuit erui, nisi ei prouidentia regenerationis, statim pristinae libertatis Christi domini reformasset aduentum,

Quod homo sit sic positus in paradiso, si obediens permaneret, quandoque ad cœlestem patriam sine carnis morte transiret. Cap. XIII.

AD hoc in paradiso homo positus fuerat, ut si se ad cō-

*Ex decre.
Cœlestini
papa,
cap. 5.*

*Ex decre.
eiusdem.*

*Grego. in
suis mo-
rali. dicit.*